

**Dissertatio medica inauguralis, de hepatitis ... / eruditorum examini
subjicit Johannes England.**

Contributors

England, John, active 1749.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud T. et W. Ruddimannos, 1749.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cgh8zhm9>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

DISSEMINATION OF THE GOSPEL

FOR THE YEAR 1851

1851

HEPATIC

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
HEPATITIDE:

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate reverendi admodum viri

D. GULIELMI WISHART S. T. D.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES ENGLAND, ANGLO-BRITANNUS.

Ad diem 2 Augusti, horâ locoque solitis.

*Denique, ab hepatis in fungendo officio suo erroribus, plura morborum genera obveniunt, quàm ab alia
aliqua in infimo ventre parte similiter male affecta.*

Glisson. anat. hepat. p. 462.

EDINBURGI,
Apud T. et W. RUDDIMANNOS. M.DCC.XLIX.

DISSERTATIO MEDICA

IN AUCTORALIS

DE

HEPATITIDE:

QUAM

AVGUSTE SUMMO NUMINE

ET HONORIS REVERENDI ACADEMICI

D. GUILIELMI WISHART S. T. D.

ACADEMIAE EDINBURGENAE TRAESECTI

REC. NON

SENATUS ACADEMICI

ET FACULTATIS MEDICAE

PRO GRADU DOCTORATUS

SUBMISIT IN MEDICINAE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

ALITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

EXAMINATORI EXAMINI SUFFICIT

JOHANNES ENGLAND, Anglo-Britannicus.

Ad aulam et Aulam hanc Jacopo folio.

Printed, at the Press of James Ballantyne, Edinburgh, by James Ballantyne, Printer to the University.

EDINBURGH

At the Press of James Ballantyne, Edinburgh.

VIRO OPTIMO,
MORUM PROBITATE, ET RERUM PRUDENTIA
SPECTABILI,
JOSEPHO DAMER, ARMIGERO;
CONSANGUINEO SUO,
ET PATRIS QUIDEM VICE FUNGENTI:
HANC DISSERTATIONEM,
QUALECUNQUE INTEMERANDAE PIETATIS
ET GRATI ANIMI TESTIMONIUM
EXTARE VOLUIT,
JOHANNES ENGLAND.

VIRI OTTIMI,

MORUM PROBITATE ET REBUS PRUDENTIA

ESPECTABILI,

JOSEPHO DAMER, ARMIGERO,

CONSENGUENDO 200,

ET PATRIS GUIDEN VICE FUNGENTIS

HANC DISSERTATIONEM

CLAUDESSIMIS INTERMEDIIS TITATIS

ET GRATI ANIMI TESTIMONIUM

ESTATE VOLUIT

JOHANNES ENGLAND.

DISSERTATIO MEDICA,

De HEPATITIDE.

SI corporis humani machina, ad varia munera obeunda exquisitè accommodata, ritè consideretur; accuratè contemplanti summam certè delectationem praebebit. Qui autem hanc fabricae humanae scientiam, ad morbos, quibus hominum genus est obnoxium, tum explicandos, tum sanandos adhibet, emolumento publico quàm maximè consulit; atque ita res medica, quod ad aegrum attinet, rectissimè procedet, et Medicus ipse artem suam securus admodum exercebit. Hac in re ne mihi deesse videar, et simul ut celeberrimae hujus Academiae legibus quodam modo satisfaciam, DE HEPATITIDE, morbo quidem rariùs suspecto, periculoso tamen, pro virili dicturus, haud abs re duxi, breviter hîc peculiarem vasorum distributionem, et humorum per hepar circuitum tractare, ut inde lucis aliquid huic disquisitioni accedat.

HEPAR est viscus amplum et multiforme, quod in dextro hypochondrio ferè totum, in medio epigastrio et in parte suprema sinistri hypochondrii, ponitur. Facies ejus superior convexa est, et ad diaphragmatis figuram concavam ficta; sed inferior facies, quam cavam vocant, est inaequalis, cum multis eminentiis et sinubus, vel depressionibus.

HEPATIS facies convexa diaphragmati connectitur tribus ligamentis, quae diversis locis à peritoneo, communi origine vaginarum viscerum abdominalium, oriuntur. Praeter haec ligamenta, magnus hepatis lobus alae dextrae portionis tendinosae diaphragmatis conjungitur, non ope ligamenti, sed latâ et immediatâ adhaesione, sine interjectu membranae peritoneae, quae hanc adhae-

fionem tantum circumvolvit ad externam totius reliqui hepatis corporis membranam efficiendam; haecque adhaesio, secundum Winslovium *, malè nominatur ligamentum coronarium, quum nomen ligamenti ei haud conveniat, et figurae potiùs ovatae seu oblongae fit.

HEPAR est quasi vasorum congeries, cujus ramificationes mirè inter se contorquentur, et, extremitatum earum capillarium intertextu, innumera pulposa et friabilia corpuscula suppeditant, quibus officium est fluidum peculiare, bilem vocatum, è massa sanguinis fecernere.

PARTEM maximam horum vasorum vagina membranosa, Capsula Glissonii dicta, amplectitur. Quorum primum tenet locum *vena portarum*; " Quae inter duas eminentias, *πύλας* dictas, si-
" mum hepatis prope centrum ejus ingreditur. Praeterea in-
" gressus ejus est proximè subter (aut paulo ultra) exilem hepa-
" tis lobum, (nomine Spigelii nuncupatum) quo etiam indicio fa-
" cilè dignoscitur. Vena portarum postquam hepar † semipolli-
" cari circiter longitudine penetravit, partim dextrorsum, par-
" tim sinistrorsum fertur, adeoque in sinum quasi efformatur,
" indeque in quinque amplos ramos dividitur;" qui postea innumeras ramificationes per totam hepatis substantiam emittunt. Et in hoc itinere comites habet arteriam hepaticam, ex coeliaca ortam, nervos etiam ex plexu hepatico.

TRUNCUS igitur venae portarum, arteria hepatica, ductus hepaticus, et nervi ex plexu hepatico, ante ingressum suum in hepar, magnum fasciculum simul texunt, atque in vagina communi, vasa, ductus et nervi ita disponuntur, ut truncus venae portarum

* Anat. du corp. hum. sect. 8. par. 264.

† Glisson, anat. hepat. p. 290.

rum centrum capsulae teneat, arteria et ductus biliosus huic incumbant aut adiaceant, et nervus in plurima dividatur filamenta, quae inter vasa et ductus itinera sua faciunt, et praecipui comites eunt arteriae et poro biliario, semperque coërciti membranâ Glissonii, à qua et propriam vaginam quodque, et communem habent omnia haec vasa.

PRAETER arteriam modò memoratam, ramos aliquot ex phrenica, unà cum ligamento suspensorio descendentes, et exiles furculos ab ipsis † cysticis Hepar accipit, nonnunquam, licet rariùs, ramum notabilem à * meseraïca superiore. Prudens ergo natura maximam, in hujus visceris structura, providentiam demonstravit : debitos enim humores per hoc viscus commodè ducere, problema erat difficillimum ; nam ex physiologicis constat, omnia viscera abdominalia, chylopoiesi inservientia, venosum suum sanguinem ad sinum venae portarum deferre ; qui sinus dein, in ramos dispertitus, per omnem hepatis molem, venosum hunc acceptum sanguinem ita distribuit, ut non ampliùs ab angustis ramis in latiores fluat, sed, ut in arteriis, à latiore basi in angustos fines pellatur. Unde patet, difficillimum humorum esse circuitum in hoc viscere, cùm sanguis venosus, maximâ sui motûs parte à corde et arteriis accepti jam amissâ, hîc iterum per angustias vasorum convergentium transire debeat. Sed humorum circuitum juvat actio diaphragmatis et musculorum abdominalium, per quam omnia viscera abdominalia alternis vicibus premuntur : inspirationis enim tempore, diaphragma, deorsum tendens, cavum abdominis arctat, et omnia contenta comprimit ; expirationis verò tempore, contracti muscoli abdominales eodem modo reagunt. Hinc omni vitae momento, alternis hisce pressionibus, promovetur

sanguinis

† Ruyfch. thes. x. p. 53.

* Palsin. anat. chirurg. p. 135.

sanguinis circuitus per viscera abdominalia, et praesertim per Hepar, quod immediatè diaphragmatis actioni subjicitur. Quare etiam in eadem capsula conjungitur arteria hepatica cum vena portarum, ut vena portarum scil. pulsus arteriae hepaticae haud aufugeret, unde stagnans sanguis multùm pellitur: et ita sanguis, hepatis traditus, venae portarum ope, oleosis particulis nunc spoliatus, iterum ad cor, per multas venosas ramificationes, revehitur. Nam ubicunque desinit ramus venae portarum, ibi incipit furculus quidam, qui ad cavam ducit; neque ulla est in hepate particula vel minima, in qua non extremi sint fines arteriae hepaticae et venae portarum, et primae simul origines venae cavae.

HISCE igitur praemissis, ad incoeptum progrediemur.

HEPATITIS a Graeco *ἥπαρ*, adjectâ terminatione *ίτις, νόσος* (quam vulgo inflammationem intelligunt) hanc partem afficientem notante, nomen accepit; et nihil aliud significat praeter hepatis inflammationem, sive partis convexae, seu concavae; quaeque sedem suam tenet in ultimis finibus arteriae hepaticae, aut venae portarum, ita tamen ut alteram natam altera facilè sequatur.

CAUSAS inflammationi cuivis communes agnoscit HEPATITIS, et alias huic etiam visceri maximè proprias, ut omenti ingentem obesitatem, temperiem atrabiliariam; quibus si accesserint maximi motus per vomitoria excitati, labores sub aestivis caloribus acti, subitum frigus ab aëre aut potu, &c. ad jecur, antea calefactum, ingruens, Hepatitidem produci posse, haud est dubitandum.

NOTUM est, omentum esse quasi olei receptaculum, quod, pro ut usus postulat, in sinum venae portarum effunditur, et bili indolem suam saponaceam tribuit; in bile enim oleum est copiosissimum, et inter omnes humores corporis humani, nullus est tam
tenax,

tenax, tamque facilè ad concretiones formandas proclivis, quàm bilis. Haud ergo mirandum, si, omento in immensum adaucto, oleum, cumulatè ad Hepar delatum, obstructions pariat. Et ex dissectionibus anatomicis cognitum est in jecinoribus hominum pinguedine sepulorum, ferè semper post mortem tubercula et concretiones calculosas inveniri. Tales etiam concretiones in bovis post inertes hyemes (quando foeno aut stramine pascuntur) confertae in hepate reperiuntur, teste * Glissonio. Hepar ergo vocari potest omnium viscerum abdominalium cloaca; exercitio enim valido vel labore praegresso, pinguedo, in omento accumulata, et humores crassiores tenacioresque viscerum abdominalium dissolvuntur et miscentur cum sanguine reliquo venoso ad Hepar redeunte; cujus vasa, calore patula facta, omnia facilè transmittunt, tuncque, subito admissa frigore, omnia Hepatis vasa contrahuntur, et transitum liquoribus huc delatis aegre praebent. Obstructione ergo natà in ramis venae portarum, facilè in consensum trahitur arteria hepatica; ramo enim venae portarum obstructo, vas turgidum arteriam hepaticam comprimet, quam compressionem haud evitare poterit arteria hepatica, quum in eadem, quàm ramus venae portarum, capsula continetur. Et ex hac fortè causa, Hepar à subitaneo frigore morbis saepiùs afficitur, quàm plurima alia viscera, quia hujus vasa validiori contractione, tum ex propriae, tum communis, tunicae robore praedita sunt.

Materies etiam sanguinis atrabiliaria oritur, quotiescunque sanguini arterioso decesserit pars fluidissima, sive per motus corporis vehementes, sive per assiduas mentis exercitationes; quod enim superest, calore vel solito, spissius factum, tenacitatis fit ferè piceae, oleo crasso sanguinis et terrestri ejus parte unitis; immea-

B

bile

* Pag. 105.

bile fit, aut majore cum molimine per minimas vasorum angustias transit : unde obstructionibus producendis aptissima est haec materies. Haecque sanguinis diathesis faciliùs obstructiones in Hepate producit, quia humores tardiori motu provehuntur, et sanguis venosus, huc traditus, ob varias quas passus est secretiones, partibus ejus fluidioribus tandem spoliatur.

TEMPORE vomitionis in validissimo prelo ex diaphragmatis actione, ventriculi et viscerum abdominalium pressione, et muscutorum abdominalium contractione, Hepar collocatur. Hinc facillimè fiunt inflammationes ab errore loci.

HEPATIS concavae partis inflammatio hisce plerumque signis dignoscitur ; dolore scil. obtuso, gravativo, et fixo in dextro hypochondrio, ardore, molestâque anxietate circa praecordia, cum inflatione et tensione hypochondrii, praecipuè dextri, quae aegrum valde laceffunt : quibus accedunt cibi fastidium, sitis insueta, cardialgia, vomitus aliquando materiae biliosae, lingua scabrosa et nigricans ; facies pallida, coloris plumbei et interdum citrini, vel ad icteritium tendentis ; saepe etiam singultu aeger multùm turbatur : Pulsus autem hoc tempore, nec multùm incitatus, nec durus est.

PARS quidem Hepatis convexa inflammatione correpta, propter membranarum sensibilitatem, multis et magis dolorificis symptomatibus stipatur ; qualia sunt dolor acutior, inter respirandum etiam multum adauctus, quo pleuritidem spuriam mentiri solet. Hicque dolor ad dextrae partis jugulum usque, vel humeri verticem, extenditur ; quem comitatur tussis sicca et inanis, pulsus creber et inaequalis. AEger in neutrum latus decumbere potest, sed supino ventre. Urina parcius redditur, crassa, rubicunda et turbida citò devenit ; tandemque ortis vomitionibus violentis, singultibus, magnâ cum debilitate, aeger vitae finem facit.

SYM-

SYMPTOMATUM ratio jam reddenda est. Dolor gravativus, teste * Galeno, ex minùs exquisito parenchymatis hepatis sensu pendet. Scribit enim "exiguum sensum hepati attributum fuisse, similem plantis, ut discerneret utile ab inutili." Et alibi docet †, "Nullum quidem nervum in parenchyma hepatis de-
 "mergi, sed in membranam tantùm dispergi, ideoque solo gra-
 "vitatis sensu frui." Cui consentit ‡ Glissonius, dum ait, "A-
 "cutum dolorem in hoc morbo contingere, medicinam facienti-
 "bus necdum compertum est." Ardor et anxietas oriri videntur ab impedito sanguinis transitu per venae portarum ramos, ad-
 eò ut venosum systema viscerum chylopoieticorum sese evacuare non poterit. Maximè autem est notandum, licet in hepate haereat obstaculum, trajectum cruoris per venam portarum impedi-
 ens, praecipuum tamen aegritudinis sensum circa ventriculum, et imprimis circa orificium ejus superius, quod cardia vocari so-
 let, percipi: ubi locantur magni paris octavi nervi, qui deinde per abdominalia viscera distribuuntur.

SYMPTOMATA etiam quae sequuntur, ortum ducunt ab obsta-
 culo ad venae portarum extrema nato; quo venae, ad sinum por-
 tarum liquores suos deferentes, sese exonerare nequeunt, inter
 quas vasa brevia ventriculi distenta manent: sensum ergo tensio-
 nis, plenitudinis, nauseae, &c. aegro afferunt. Galenus, de he-
 patis inflammatione agens, monet, appetitum deletum, nauseam
 et vomitum comitari hunc morbum, additque ** insuper omnia
 haec potiùs adesse, dum hepatis cava pars inflammatur, quàm con-
 vexa.

OSCULIS vasorum exhalantium extremis immeabilitate inflam-
 matoriâ.

* Lib. 4. de usu part. cap. 13.

† De loc. affect. lib. 2. cap. 2.

‡ Anat. hepat. p. 317.

** De loc. affect. lib. 5. cap. 7. edit. Charter. tom. 7. p. 496.

matoriâ vel viscositate putridâ obstructis, incipit linguae dorsum imprimis scabrum fieri et siccum, cujus color in pallidum, flavescens, fuscum, et denique nigrum mutatur. Facies, in hoc morbo, colore peculiari afficitur ab impedita bilis secretionem: sed à multis auctoribus cum vero colore icteritio, ex regurgitatione bilis orto, implicatur: quod facile fieri posse haud mihi apparet; humores enim, ad Hepar delati, quanquam particulis ad bilem perficiendam idoneis abundant, vim tamen bilis dissolventem in sanguinem, ante secretionem, haud exercere possunt. Et ex observatis * Medicis constat, totum ferè Hepar inflammatione correptum esse, magnosque abscessus in hepate locum tenere, sine ictero ullo apparente, et ex † Glissonii sententia, atrophiam, vel saltem nutritio diminuta, potius quàm icterus, ab impedito sanguinis transitu è finibus venae portarum capillarium, imminet.

SINGULTUS oriri videtur ex diaphragmatis irritatione, quâ contractio ejus convulsiva producit. Pulsus etiam arteriarum non multum excitantur, et satis sunt expediti; quia dolore nullo acuto gravatur aeger, neque multum laeditur respiratio.

SED parte hepatis convexâ inflammatione correptâ, symptomata concomitantia facile explicantur ex jam dictis, ubi de situ et nexu hepatis cum diaphragmate tractavimus; hoc enim tempore membranae et ligamenta, sensu peracuto praedita, malè affecta facile in consensum diaphragma et partes vicinas trahunt. Dolor autem ad jugulum usque extenditur, quia diaphragma et vertex humeri ramos habent ex eodem nervorum pari ‡.

AEGER etiam supino tantum ventre decumbere potest, quia in hoc situ Hepar reliquis visceribus abdominalibus suffulcitur: itaque

* Vid. Bonet. passim.

† Glisson. anat. 103.

‡ Vid. Winslow. sect. 6. 187, 188, parag.

itaque ligamenta diaphragmati connectentia haud distrahuntur.

Quod ad prognosin attinet, HEPATITIS periculi semper plena est; idque sive in hepatis convexa seu parte cava sedem habeat. Quamvis Galenus * asserit, "Convexam ceu gibbam hepatis partem, inflammatione correptam, periculi plus afferre, quàm si in concava haereat inflammatio; quoniam inter superiores, et proinde nobiliores, corporis partes reperitur." Sed cava hepatis pars idem periculum subire videtur, quia ventriculus saepe in consensum trahitur, et saepè, nisi resolvatur hepatis inflammatio in hac parte, in suppurationem, vel potius putredinem, tendit: unde fit abscessus, à quo pauci evadunt; teste enim Glissonio †, "Tumor hujusmodi facilè in abscessum desinit, qui, si in hepate contigerit, certam mortem praenuntiat."

HEPATITIS eodem ferè modo, quo aliae inflammationes, exitum habet; in sanitatem scil. quae ope naturae vel artis, benignâ resolutione, vel coctione et excretionem materiae morbosae contingit; vel in alios morbos, vel denique mortem, transit.

PRIOR EVENTUS, resolutio scil. salutari naturae molimine ad nocivum quoddam è corpore eliminandum accidit, praesertim si inflammatio levis sit, aegroque administrentur medicamenta diluentia et resolventia; quem in usum clysmata ritè adhibentur: ope enim flexurae coli intestini, fomenta calida, et quasi topica, hepatis applicantur: praeterea diluentia et antiphlogistica, intestinis recepta, deterfis et laxatis venarum meseraïcarum osculis, absorbentur, atque cum sanguine permiscuntur. Quum autem clysmata injecta, venis recepta, statim (pro parte saltem) in venae por-

C

tarum

* Epidem. comment. 2. text. 14.

† Pag. 101, 102.

rarum finum deferantur, atque inde per totam hepatis substantiam propellantur, ad hujus visceris obstructions aut inflammationes resolvendas multum conferre debent. Remedia enim sic, viribus corporis vix permutata, ad locum affectum illico pervenient.

RESOLUTIONE ergò factâ, sanguis ad fines venae portarum stagnans in ramos venae cavae trajicitur; compressione igitur arteriae hepaticae sublatâ, liber per totum Hepar transitus restituitur.

VENAESECTIO à nonnullis in hoc morbo, ut in pleuritide, laudatur: sed si morbi origo in ramis venae portarum obstructis haereat, ita ut sanguis ex visceribus chylopoieticis rediens impediatur, misso vel ad animi deliquium sanguine, revulsio vix fieri poterit; mali enim sedes extra circuitûs limites censi potest.

MORBUS etiam hicce per CRISIN solvitur; idque per cutem, renes, vel alvum, ante quartum diem; quo tempore Hippocrates et Medici antiqui crisin exspectabant: eundem fortè modum apud illos servabant hi morbi, ex miti illius regionis coelo, in quâ Hippocrates medicinam fecit, vel ex ejus ratione febres tractandi, quae aegrotantis victum solum ferè spectabat: quum hodie venae-sectione aliisque ad acutorum initia adhibitis praesidiis, crisisbus obviâ itur. Ex testimonio etiam celeberrimi † Hoffmanni, hepatis inflammatio crisi solvitur, quae paulo tamen seriùs quàm apud antiquos, septimo scil. vel undecimo, die, et partim sudore, partim alvi fluxu evenire solet: frequentius autem alvi fluxione solvi videtur: materies enim, quae priùs venae portarum fines occupaverat, nunc per poros biliarios ad duodenum transeuns, diarrhaeam vel fluxum biliosum producit. Ubi verò per renes solvitur, pleno rivo excernitur urina acris, crassa, rubra, cum sedimento subalbo copiosissimo.

SL

† Med. rat. syst. vol. i. p. 389. fol. ed.

Si autem Hepatis inflammatio, remediis adhibitis haud auscultans, neque resolutione, neque crisi solvatur, oritur SUPPURATIO : qui status his signis cognoscitur ; mutatione nimirum symptomatum et remissione doloris, (si quis adfuerit,) et ab aegro tandem levi horripulatione correpto, ac si frigidâ perfusum corpus horresceret ; quae vaga et saepe sine norma, vel manifesta causa, recurrit. Haec juxta * Hippocratis placita : “ Qui subinde “ horrore corripiuntur, ad suppurationem deveniunt, quinetiam “ febris ad talem suppurationem ducit.” Galenus etiam idem asserit, dum ait, “ Intempestivus horror cum febre inflammati- “ onis in suppurationem transeuntis est indicium †.”

Si tamen sedem habeat obstructio in finibus venae portarum, ob copiam multi hîc liquidi cruenti et biliosi stagnantis, teneris hisce vasibus ruptis, rarò pus bonum, plerumque verò funesta putredo, nascitur.

HEPATE igitur suppurato, magnum imminere periculum luculenter patet. Visceris enim hujus integritas omnino ad sanitatem requiritur, quum bilis confectio, ad chylopoiesin adeo necessariae, ex hepate imprimis pendeat : cachexia ergo, hydrops et plurima alia mala inde metuenda. Praeterea friabilis hujus visceris substantia, à pure diu retento et acriori reddito, tota corrumpi poterit, unde tabes hepatica et alvi fluxus colliquativus putridissimus citò sequitur.

Si ruptum tale apostema in cavum abdominis contentum pus effuderit, ascites purulentus cum cita ferè semper pernicië proveniet. Apertum enim in hepate ulcus, novum quotidie pus gignit,

* Coac. prae-not. text. 422. fol. 185.

† Galen. de loc. affect. lib. 1. Cap. 1.

gignit, quod, in abdomen delapsum, viscera brevî corrumpit; et ex ulcere jecoris pus per alvum deferri memorat Tulpius †.

MEMBRANA autem hepatis inflammata et fortè accretâ peritoneo, licet pus, in hepatis abscessu latens, per abdominis integumenta viam sibi fecerit versus exteriora, anceps tamen adhuc erit eventus. Si enim purum et album pus effluat, evasurus est aeger; sed si amurcae speciem referat, peribit certè, monente Hippocrate *: “ Qui ad Hepar uruntur, (aut secantur) siquidem purum effluat pus et album, superstites evadunt, (cujus rationem simul reddit) ipsis enim pus est in tunica; si verò effluat velut amurca, pereunt.

QUOD Galenus †† in commentario ad hunc aphorismum confirmat: “ Hepatis in tunica tantùm qui suppurati sunt, nihil patiente substantiâ visceris, salvantur omnes, si urantur: moriuntur autem quibus usque ad carnem hepatis corruptio ipsa pertingit. Celsus etiam **: “ Si in jecinore vomica est, et ex eo fertur pus purum et album, salus ei facilis, id enim malum in tunica est.” Ex dictis constat Hepar suppuratum multum secum periculi apportare.

ALIQUANDO tamen obstructio, et inflammatio levis tantùm in hepate nata, quae neque resolutione, crisi, neque suppuratione exitum habet, in † SCIRRHUM vertitur; cui jecur est obnoxium ex fabrica ejus glandulosa. Si enim vis à tergo impetu ad rupturam haud valente protrudat, metus est ne materies impacta, liquidiore suâ parte sensim diffatâ, immobilis ibi maneat, et tumorem durum indolentem, Scirrhum dictum, constituat, quem in can-

crum

† Observ. 27. lib. 2.

* Sect. 7. App. 45.

†† Epist. Galen. Commen. in Hipp. pag. 77.

** Lib. 2. cap. 8.

† Aretaeus de sign. et caus. morb. l. 1. c. 13.

crum horrendum saepissimè degenerare, praesertim si perversa adhibeatur medela, vero simile est.

IN mortem verò subito desinit HEPATITIS, si causae inflammationis tam validae sint, ut per totum jecur transire nihil queat. Idque jam fieri docet, vomitus aut secessus sanguinis, bilis, faecis amurcosae, viridis, nigrae, foetidissimae, cadaverosae. Singultus † magnus perpetuus, febris intensissima, sitis inextinguibilis, subitus admodum pallor et extremorum frigus, medio interim corpore calore penè adusto.

HUJUS rei exemplum memorat Boerhaavius *; obstructo enim hepate, sanguis ad portas adgestus, ibique stagnans, post spasmos, convulsiones et vomitus inanes, ex venis mesentericis contrario itinere in arterias socias, et ipsam aortam redire coactus est.

QUOD ad curationem attinet, haud ab re forsan erit, si sub morbi initio à venae sectione incipiamus; sed ex dictis patere opinor, clysmata attenuantia et antiphlogistica palmam omnibus praeripere.

QUOD si benignam resolutionem moliatur natura, omni ratione huic est subveniendum, lenibus scil. ptisanis et laxantibus ex decoct. prunor. et tamarind. cum radicibus aperientibus.

LENIBUS etiam est tractandus aeger remediis in omni morbi statu: et si crisin per sedes vel urinas fieri velit natura, in priori casu fomenta calida emollientia dextro hypochondrio adhibita, clysmata laxantia injecta, ptisanae etiam modò memoratae, addito cremor. Tartar. vel mannâ, finem exoptatum fortè attingent.

SI in urina, signa futurae evacuationis criticae appareant, de-

D

coctis

† Cels. lib. 2. 7. p. 63. l. 3. Hipp. etiam, sect. 7, 17.

* Praelect. acad. cum not. Haller. tom. 3. pag. 187-8.

coctis urinas cientibus ex radicibus aperient. cum spiritu minder. vel fale aliquo diuretico, ut Tartar. tartarizat. vel vitriolat. fomenta etiam admota renibus et clysmata eximium habent usum.

HEPATIS VOMICA in parte concava, parenchyma pertingens, vix sanatur; sin verò acciderit, naturâ viam monstrante, et materiem morbificam per aliqua corporis emunctoria expellente, curatio optimè perficitur, dum Medicus officium spectatoris tantùm praeſtat, aut, ad ſummum, vires aegri refocillat, atque per remedia putredini adverſantia boni aliquid *naturae* in ſalutari ſuo opere affert. Hiſce autem quandoque votis noſtris non reſpondentibus, hepar materie ſanioſâ et ichoroſâ, quotidie natâ, exeditur, atque aeger, tabe lentâ, febriculâ aſſiduâ, ſiti intolerabili, debilitate et anxietate ſummâ diu luſtatus, moritur.

Si hepatis mollem, friabilem et pulpoſam ſubſtantiam ritè conſideremus, *concretionem ſcirrhoſam*; hîc ſemel natam, vix poſſe reſolvi ſtatuendum eſt, “ Praeſertim ſi vehementer diſcuſſoria medicamenta adhibeantur *;” ab aſtione autem viſcerum abdominalium haud inanis erit metus, ne in cancrum abeat. Scirrhum verò jecoris incipientem eſſe curabilem, ex teſtimonio † Oribasii diſcimus, qui hoc modo verba facit, “ Jecoris ſcirrhum “ incipientem ſaepè ſanavimus : qui verò in multos dies eſſet prorogatus, neque nos curavimus, neque alium quemquam, qui curare eum poſſet, vidimus.” Si tamen hoc malum lenibus tractetur remediis, exitus fortasſe non erit infauſtus : quem in finem remedia reſolventia et ſaponacea, tam externè, quàm internè, adhibita, meritò laudantur. Sapo primum in hoc morbo tenet locum; humores enim hîc ſtagnantes magis vel minùs oleo abundant : unde medicamenta vi ſaponaceâ non praedita, uſum vix habent

* Paul. Aeginet. l. 4. de re medica, cap. 3. de ſcirrhis.

† Lib. 6. cap. 21.

habent ullum. Sapo ergo Venetus, prout ferre poterit aeger, cum gummi attenuant. et resolvent. ut ammoniac. et Galban. cum decoct. taraxaci, cichorei, tragoconi, &c. praesertim si aquae minerales adhibeantur, multum proderit. Quòd si cataplasmata, ex mica panis et sapone, loco affecto et magis prominenti applicentur, hisce fortè remediis cedat scirrhus.

HACTENUS de inflammatione, substantiam hepatis occupante, fere unicè tractavimus; jamque ad illam quae membranam hepatis externam afficit, progrediendum esset. Sed quum hicce morbus in consensum partes vicinas trahat, eodem ferè modo tractandus est, quo pleuritis notha et paraphrenitis, quibus fere semper implicatur, et ex quibus, profectò malè evadentibus, nobis maximè erit metuendum. Inflammatione autem in hepatis tunicis in supurationem vergente, evadere poterit aeger.

SED ne ultra debitos limites excurrat oratio, hîc ei finem imponere visum est.

F I N I S.

DE HEPATITIDE

habent illam. Sed ergo Veneris, proinde potius ager, cum
gravi aeternitate et relevat, ut amoniam, et Galien. cum de
cost. tatarum, cichorei, tragoponi, etc. praeteritum à adque mine-
ralis adhibentur, multum proderit. Quod à cataplasmata, ex
misa panis et lipone, loco affecto et magis prominenti applicen-
tur, hinc forte remedia cedat scilicet.

Hactenus de inflammatione, tuberculorum, et
fere unice, et quibusdam aliis ad illam quae agnoscitur ho-
patis externam afficit, progressum suum efficit. Sed quum hinc mor-
bus in constitutum partes vicinas trahat, eodem forte modo trahun-
tur, quo hinc afficit, et peripneumonia, quibus forte semper
implicatur, et ex quibus praeteritum ad evadendum, notis maxime
eius motibus. Inflammatione autem in hepatis tunc in sup-
puracionem, vel in gangraenam potius ager.

Sed de his alio loco tractatur, hic et finem impo-
nere vultis.

T I N I S